Programm,

durch welches

zur öffentlichen Prüfung aller Klassen

des Königlichen katholischen

Gymnasiums zu Sagan

und zur

Schlußfeier

für

Donnerstag, den 8. und Sonnabend, den 10. August d. J.

im Namen des Lehrer-Kollegiums

ergebenst einladet

Professor Dr. W. C. Kayser,

Direktor.



Inhalt:



Sagan, 1878.

Druck von P. H. Raabe & Sohn.

Horatiana.

Etsi in Q. Horatii Flacci operibus emendandis explicandis interpretandis optimus quisque virorum doctorum operam studiumque quasi in literarum provinciam proconsularem quandam properiamque contulerunt et numerus voluminum in eam rem conscriptorum tantus extitit, ut copiosissimam bibliothecam inde efficeres: tamen ego, quamquam his meis negotiis publicis impeditus vix satis otii scriptis, quae in summis literis versentur, suppeditare possum, surculos quodam modo defringendo, non eo consilio, ut aliena auferam, sed ut de meis quaedam, qualiacumque erunt, inferam, in possessionem illam, unde sine magno meo dedecore iam non recedere mihi licet, inrumpere constitui. In quo spero fore, ut virorum doctissimorum veniam consequar, si cura ac labore pro viribus temporibusque adhibito rei propositae quam maxime institero: quo facto contingere mihi potest, ut aliquid luminis uni et alteri loco carminum afferam auctoris nostri, cuius et sententiae et verba plerumque abstrusa et recondita tanto artificio coniuncta compositaque sunt, ut vix satis omnia enodari possint; qua ambiguitate vere poetica denuo semper mire delectatus nescio an nunquam ad perfruendum pervenias.

Sed iam ad rem propositam pergamus! In qua expedienda exiguis programmatis finibus coercitus paucis tantum Horatii carminum, quippe quae in scholis nostris praecipue interpretemur, locis explicandis emendandisve operam dabo, haudquaquam impugnaturus interpretationes emendationesve a viris doctis prolatas: quas qui noscere volet, ipse volumina eorum evolvat. Non enim ignoro Horatium esse poetam non qui mente rationeque sola, sed multo etiam magis animo pectoreque ac naturali quodam sensu recte percipiatur, neque esse fere quicquam, quod in eius poematis explicandis proposueris, quin ferri et ullo modo defendi possit, ut verba carm. I, 4, 16 haec:

Jam te premet nox fabulaeque Manes,
Et domus exilis Plutonia:

in quibus viri docti, quorum quidem commentarii, quos consulerem, mihi praesto erant consentiunt de ea re, quod dicunt, in particulis ‚que et‘ adiunctionis copulativae vim inesse, unde locus sic est solvendus: ‚iam nox, iam fabulosi Manes, iam domus exilis Plutonia te prement‘, qui vero ex parte in eo haerent, quod contendat poeta, fabulosos Manes Sestium pressuros esse. Et recte; nam qui Manes fabulosi vanique sunt, hi ob eam rem ipsam, opinor, quod fabulosi sunt, mortuos nunquam prement. Accedit, quod Manes nec genus sunt, nec species, nec simile, nec affine quoddam, quod copulative — sit venia eiusmodi terminis grammaticis — per ‚que‘ particulam praecedenti vocabulo ‚nox‘ adiungere possis. ‚Que‘ mea sententia hic potius est adiunctiva particula causalis simulque parenthetice, ut grammatici perhibent, interponens, unde sententia loci existit haec: iam te premet nox — fabulae enim manes[1]) — et domus exilis Plutonia. Videamus, quomodo haec loci explicatio defendi probarique possit.

De statu conditioneque mortuorum duplicem opinionem Plato proposuit in Apolog. Socr. cap. XXXII his verbis: *δυοῖν γὰρ θάτερόν ἐστι τὸ τεθνάναι. ἢ γὰρ οὖν μηδὲν εἶναι μηδ᾽ αἴσθησιν μηδεμίαν μηδενὸς ἔχειν τὸν τεθνεῶτα, ἢ κατὰ τὰ λεγόμενα μεταβολή τις τογχάνει οὖσα καὶ μετοίκησις τῇ ψυχῇ τοῦ τόπου τοῦ ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον·* et paullo infra priori sententia explosa subdit: *καὶ γὰρ οὐδὲν πλείων ὁ πᾶς χρόνος φαίνεται οὕτω δὴ εἶναι ἢ μία νύξ.* Duplicem illam opinionem de mortuorum conditione a Platone propositam Horatius tamen atque eiusdem aetatis homines plerique iam iamque in unam confuderant conflaverantque expressam ab ipso poeta his nostri loci verbis: iam te premet nox et domus exilis Plutonia. At priscis temporibus tertia opinio de mortuorum conditione ferebatur, quam Plato e Pythagoreorum doctrina desumptam in Phaedonis cap. XV his verbis profert: *παλαιὸς μὲν οὖν ἔστι τις λόγος, οὗ μεμνήμεθα, ὡς εἰσὶν ἐνθένδε ἀφικόμεναι* (intl. *ψυχαί*) *ἐκεῖ, καὶ πάλιν γε δεῦρο ἀφικνοῦνται καὶ γίγνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων.* Eam Pythagoreorum doctrinam Romani Horatii temporibus vulgo improbaverunt atque contempserunt, Epicurei disciplinae magnopere diditi. Quin ipse Vergilius, qui Aend. VI, 679—886 animarum ab aliis post mortem ad alios transitionem diserte enarravit, eandem tecte deridet versibus extremis eius libri dicens, Anchisen filium cum vate per eburnam portam emisisse, per quam falsa insomnia ad superos revenire fingebant, ut per corneam vera. In quibus nequeo mihi temperare, quominus sententiam aperiam, quamnam veteres et eburnam et corneam istam portam fuisse crediderint? Ac per corneam quidem somni portam oculos notabant, qui et adspectu cornei et cunctis corporis membris sunt perlucidiores, per eburnam autem dentes, qui istis densiores os circumcludunt. Indicat igitur earum portarum fictio visa dictis famaque per aures perceptis esse veriora et sinceriora, id quod Horatius ipse art. p. 180 sic exprimit:

> Segnius irritant animos demissa per aurem
> Quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
> Ipse sibi tradit spectator.

Quam ob rem quod Aeneas per eburnam portam dimissus sit ad superos, ea re poeta indicat deridens pro falsis habenda esse quum alia multa de inferis narrata, tum ea, quae proxime de manibus eorumque transitione ad superos in medium protulerit. Sed omissis aliis eiusdem aliorumque auctorum locis, quibus probare possum Romanos illis temporibus animarum ab aliis post mortem ad alios transitionem plerumque derisisse atque contempsisse,

---

1) Non sequor eos qui Manes scribunt; poeta enim neque inferos, neque inferorum deos dicit.

Iam videamus, quid Horatius ipse de ea re senserit. Is Epicureorum more[2]) acerrime eam impugnabat deridebatque quum toto carmine I, 28, tum praesertim his verbis:

habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum, quamvis clipeo Trojana refixo
Tempora testatus nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atrae,
Judice te non sordidus auctor
Naturae verique.

quibus summa cum irrisione dictis contrariam suamque ipsius opinionem confirmate adiungit his verbis:

Sed omnes una manet nox
Et calcanda semel via leti.

Hoc idem valet ac si dicat Epicureus — sive Horatius sive alius istius disciplinae assecla, nihil refert — : Vestram doctrinam, Pythagorei, de transitione animarum atque omnino de manibus constitutam equidem meram habeo fabulam; nam una eaque perpetua nox omnes manet nos apud inferos semelque tantum, non iterum, ut vos fabulamini, via leti hominibus aliis quidem alia ratione est calcanda. Concedit deinde umbra Archytae Pythagorei, qui vivus non minus acer Epicureorum praeceptorum adversarius fuerat,[3]) Epicureo e poetae fictione eum vv. 1—20 interpellanti inde a v. 21 usque ad finem carminis, doctrinam olim a se vivo defensam esse vanam oratque adversarium, ut terram ter in corpus atque tumulum suum iniciendo sepulturam suam iustaque funebria redintegret atque rite perficiat unaque cum corpore animam suam ad perpetuum somnum Orco condat. — Inveniuntur in Horatii poematis etiam multi alii loci, quibus ista Pythagoreorum doctrina irridendo diluitur, ut epod. XV, 21:

Nec te Pythagorae fallant arcana renati —

et epst. II, 1, 50 sqq.:

Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.

Quantopere Horatius persuasum habuerit, neminem ab inferis unquam in vitam rediturum esse, ipse aperte indicat carm. I, 24, 5, quo loco mortem ‚perpetuum soporem' nuncupat; et ibid. v. 15 sqq.:

Num vanae redeat sanguis imagini
Quam virga semel horrida

---

2) Quam acres adversarii eius doctrinae Epicurei fuerint, apparet ex Ciceronis de rep. VI, 3, quod fragmentum Favonius Eulogius commentator sic explicat: Imitatione Platonis Cicero de r. p. scribens locum etiam de Eris Pamphyli reditu in vitam, qui, ut ait, rogo impositus revixisset multaque de inferis secreta narrasset, non fabulosa, ut ille, assimilatione commentus est, sed sollertis somnii rationabili quadam imaginatione composuit, videlicet scite significans ‚haec quae de animae imortalitate dicerentur coeloque non somnantium philosophorum esse commenta, nec fabulas incredibiles, quas Epicurei derident, sed prudentium coniecturas.

3) Confirmat eam rem Archytae oratio, quam refert Cicero de senect. c. 12 sic: accipite enim, optimi adolescentes, veterem orationem Archytae Tarentini, magni in primis et praeclari viri: ‚nullam capitaliorem pestem quam voluptatem corporis hominibus dicebat a natura datam; cuius voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci. . . . . quocirca nihil esse tam detestabile tamque pestiferum quam voluptatem, siquidem ea, quum maior esset atque longinquior, omne animi lumen extingueret.

Non lenis precibus fata recludere
Nigro compulerit Mercurius gregi?

Idem carm. II, 3, 27 mortem aeternum exilium vocat, et carm. II, 14, 9; II, 18, 38 verbis compescendi et coercendi eandem mortis perpetuitatem designat. Eodem spectant carm. I, 28, 2 et 9 verba habendi et cohibendi quae iis locis eadem vi in perpetuum retinendi usurpantur, qua saepe a Graecis ἔχειν et κατέχειν. Carm. IV, 7 poeta affirmat Torquatum non genus, non facundiam, non pietatem ab inferis restitura esse, ad quod probandum Hippolyto et Pirithoo exemplis utitur. Sed Horatium doctrinam de transitione animarum ab aliis post mortem ad alios atque de manibus a Pythagoreis constitutam defensamque improbasse hominesque mortuos continua sempiternaque nocte premi perseverasse, iam satis ostendisse videor: cuius rei L. Sestium amicum, qui tunc fortasse ad Pythagoreorum disciplinam se acclinaverit, commonefacturus loco, de quo agimus dixit: Noli putare, beate Sesti, te unquam ab inferis ad perfruendas huius vitae voluptates deliciasque rediturum esse. Crede potius mecum fore, ut mortuus in Plutonia domo ista exili omnique voluptate vacua una perpetuaque nocte obtegaris. Quam ob rem, quoad fieri potest, carpe diem Epicureorum ac meo more; utere Lycida tuo, quo quamvis nunc iuvenibus adhuc commodo ad fruendum mox virgines tepebunt, quo facto eo uti tibi sine magno tuo periculo certamineque iam non licebit. Ex ea igitur carminis explicatione v. 16. sic scribendum esse censeo:

Jam te premet nox — fabulaeque manes —
Et domus exilis Plutonia;

ac nescio an non versus carm. II, 20, 21 sq. pari modo sint interpretandi et sic scribendi:

Absint inani funere neniae —
Luctusque turpes — et ceremoniae;

Nam hoc loco poeta dicere videtur: absint inani meo funere neniae praeficarum; nam eiusmodi luctus turpes sunt eumque dedecent, qui immortalitatem nanctus tali honore supersedere potest.

In primi libri carmine sexto, ut nunc quidem legitur et interpungitur, adeo paene nulla inest verborum sententiarumque conhaerentia, ut inde facile tria carmina efficere possis, quorum primum vv. 1—13, secundum 13—17, tertium 17—20 contineat; cui tamen vitio aeque ac cunctis difficultatibus, quibus viri docti in eo carmine explicando urgebantur, mederi posse confido usitata interpunctione paullum mutata et una tantum eaque levi lectioni vulgatae correctione adhibita, unde pro pronomine ‚quis‘ v. 12 ‚qui‘ scribo, referens hoc pronomen ad Varii nomen, quum pronomine ‚quis‘ servato sententia ab Horatii animo consilioque plane diversa atque abhorrens efficiatur haec: nemo atque ita ne Varius quidem Maeonii carminis ales res bellicas, neque quas Mars tunica adamantina tectus, neque quas Graeci heroes ducesque bello Troico, neque denique quas Caesar Augustus et Agrippa nuperrime pugna Actiaca gesserunt, digne scripserit. At contra hoc carmine poeta contendebat Varium esse poetam epicum, qui haec omnia digne atque Homerico more scribere possit. — Pro commate quo interpungebant v. 2 post ‚alite,‘ colon cum interpositionis signo post vocabulum ‚ingeni‘ v. 12 claudendo; tum post ‚gesserit‘ v. 4 comma et post ‚ingeni‘ v. 12 semicolon pono, ita ut denique puncto pro interrogationis signo post ‚parem‘ v. 16 restituto haec totius carminis facies oriatur:

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis alite: —
Quam rem cunque ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit,

Nos, Agrippa, neque haec dicere nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii
Nec cursus duplicis per mare Ulixei
Nec saevam Pelopis domum

Conamur tenues grandia, dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingeni; —

Qui Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit aut pulvere Troico
Nigrum Merionen aut ope Palladis
Tydiden superis parem.

Nos convivia, nos proelia virginum
Sectis in iuvenes unguibus acrium
Cantamus, vacui sive quid urimur,
Non praeter solitum leves.

Primaria pars carminis, qua Horatius Varii epicam suamque ipsius lyricam poesin commendat.

Secundaria pars carminis, qua Horatius munus epici carminis faciendi sibi oblatum detrectat.

Sic carmen in duas aequales et se apte excipientes partes dividitur. Utraque pars enim e denis versibus constat, altera primaria e vv. 1, 2, 13—20; altera secundaria primariaeque interposita e. vv. 3—12. Primaria parte Horatius Agrippae commendat Varium epicum[4]) et se ipsum lyricum poetam, secundaria ingenue modesteque atque interposite summissaque quasi voce profitetur se Homerico illo poesis genere imparem, quo ad concelebrandas Caesaris Agrippaeque res gestas neque debere se neque posse uti sine magno illorum suoque ipsius dedecore contendit causasque profert, cur id ita sit. Itaque carminis sententiarum conhaerentia est haec: Quam rem cunque ferox miles Romanus auspice Caesare et te duce,[5]) Agrippa, navibus aut equis gesserit, eam nos tenues non magis dicere conamur, quam alia virorum fortissimorum, ut Achillis, Ulixis, Pelopidarum praeclare facta, metuentes, ne eveniat, ut canendi facultate destituti potius minuerimus illa, quam auxerimus. Sed ecce — sic primaria carminis parte asseverat — adest Varius, abs quo fortis et hostium victor scriberis, q u u m i s vel ipsum Martem tunica adamantina tectum, vel Merionen vel Tydiden illum Palladis ope superis parem ideoque denique res te duce gestas quasi alter Homerus digne scripserit. At ego convivia potius atque eiusmodi ludicra cantare idoneus sum.

Ad verba carm. I, 21, 13: ‚Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem‘ Bentleius annotavit: In praecedentibus et Dianae et Apollinis laudes una celebrantur: iam vero Apollinem solum ait bellum, famem et pestilentiam a Romanis amoliturum. Quid ergo opus erat supervacuis precibus Dianam sollicitare? Quam ob rem ne nihil omnino hic agat Diana, vide an legendum sit:

Haec bellum lacrimosum, hic miseram famem —

4) Cfr. Horat. epst. II, 1, 248; Verg. eclog. IX, 35 sq.
5) De coniuncta Caesaris Agrippaeque bellica laude cfr. Vergil. Aen. VIII, 675—685.

Bellum autem lacrimosum intellige civile, ut carm. III, 8:

Medus infestis sibi luctuosus
  Dissidet armis.

Discordiam vero abigit propitia Diana, ut memorat Callimachus hymno in Dianam v. 133:

Οὐδὲ διχοστασίη τρώγει γένος, ἥτε καὶ εὖ περ
Οἴκους ἑστηῶτας ἐσίνατο·

Hactenus Bentleius. — Sed Diana etiam magis abigit propitius Apollo discordiam, quod, opinor, respicientes viri docti merito non secuti sunt Bentlei rationem: qui tamen mendum in loco inesse iustis causis comprobavit, ad quod tollendum alia via nobis erit ingrediendа. Ac primum per totum hoc carmen nomina Latonae Latonigenarumque certo quodam ordine usque ad ultimam stropham se excipientia videmus. Poeta postquam prima stropha liberos una cum matre celebravit deinceps ad rem propositam, ad Dianae scilicet et Apollinis laudes virtutesque invicem canendas transit, in quo secunda stropha Dianam, tertia Apollinem praedicat, unde ex poetae ingenio usitataque nominum artificiosa collocatione complexioneque iure expectamus, ut ultima stropha primo loco Apollinem, secundo Dianam collaudet et postremo laudes utriusque collectas complectatur, unde hic ordo nominum deorum consequitur: str. I Dianae Apollinis Latonae; str. II Dianae; str. III Apollinis; str. IV v. 1 Apollinis Dianae, v. 2—4 una Dianae Apollinisque. Namque vocabulum ‚pestem' v. 14 comprehendit continetque notionem antecedentis versus vocabulorum ‚lacrimosum bellum miseram famem', quam rem particula ‚que', qua poeta vocem ‚pestem' praecedentibus adiunxit, satis indicat. Ea igitur ratione ductus v. 13 sic scribo:

Hic bellum lacrimosum, h a e c miseram famem

Auctores enim, ut supra commemoravi, non Apollinem solum, sed etiam Dianam *ἀλεξίκακον* et *ἀποτροπαῖον* perhibent. Quin Horatium Dianam illam *πολύμαστον*[6]) hic consulto praedicasse affirmaverim deam, quae sterilitatem famemque averteret, ut carm. III, 23:

Caelo supinas si tuleris manus
Nascente luna, rustica Phidyle,
Si ture placaris et horna
Fruge Lares avidaque porca,

Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Robiginem aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

et carm. saecul. 29—32:

Fertilis frugum pecorisque Tellus[7])
Spicea donet Cererem corona;
Nutriant fetus et aquae salubres
  Et Jovis aurae.

---

6) Cfr. Herm. Alex. Fischeri commentationis mythologicae, quae inscribitur ‚Bellerophon' pag. 38 ann. 1: Artemis als Mondgöttin stellt von der einen Seite die Fruchtbarkeit dar, weshalb sie *πολύμαστος* genannt und mit vielen Brüsten abgebildet wurde (Visconti mus. Pio Cl. I, 31.); denn namentlich in den südlichen Ländern ist der Mondschein von einer wohlthätigen feuchten Kühle begleitet und wird eben dieses feuchten Elementes wegen als nährend und fruchtbringend angesehen: daher heißt in der asiatischen Mythologie der Mond auch die Kuh des Ueberflusses.

7) Ex tua scilicet ope, o Diana, fertilis frugum pecorisque Tellus spicea corona Cererem donet, et a te fecundae redditae aquae salubres et aurae Jovis nutriant fetus.

— Ceterum viro doctissimo contendenti, aquam hoc loco esse pluviam, ut et carm. III, 10, 19 omnino adstipulans, huius de quo agimus carminis v. 5 scribo:

Vos laetam pluviis et nemorum coma

quum Diana haud usquam dicta sit ‚fluviis laeta'? At contra eadem dea, quae in meridianis regionibus magnam vim habet ad gignendam pluviam[8]), aptissime hoc loco dicitur pluviis laeta, quippe quibus famem sterilitatemque avertat. — Carm. IV, 6, 39 Horatius Dianam dicit prosperam frugum, et Justinus rerum scriptor XXVIII 3 § 5 sqq. narrat, sterilitatem famemque et bella intestina externaque atque cuncta mala a Diana missa Epirotas esse perpessos, propterea quod ibi Laodamia, quum in aram eius deae confugisset, concursu populi interfecta esset.

Carm. III, 6, 22: ‚matura virgo.' — Versus 17 et 18 huius carminis:

Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos;

continent bipartitam argumenti dispositionem versuum inde a 21 usque ad 44, ex qua poeta a versu 21 per tres strophas inquinamentum nuptiarum, et inde a versu 33 iterum per tres strophas Romanae iuventutis morum depravationem hinc derivatam describit. Quarum argumenti partium priore, qua describit nuptiarum inquinamentum, veram esse rem ostendit per affirmationem, altera autem per negationem. Altera enim demonstrat, quales fuerint aetate sua nuptiae, altera, qualis non fuerit iuventus Romana et tamen esse debeat. Quam ob rem adduci non poteram, ut crederem, viros doctos recte interpretatos esse verba ‚matura virgo' per ‚gereifte Jungfrau.' Quid enim, quaeso, sibi vult inupta in nuptiarum descriptione? Contendo vocem ‚virgo' hic potius valere ‚junge Frau,' qua vi eam haud raro a poetis praesertim usurpatam invenimus, ut a Vergil. eclog. VI, 47, qui de Pasiphae virum iam experta, iam Minois uxore, iam Phaedrae, iam Ariadnes matre:

Ah virgo infelix, quae te dementia cepit?

ubi Servius annotavit: Virgo a viridiore aetate, nam iam fuerat mater;
ut a Terentio Adelph. IV, 7, 10;
‚(De.) Puer natu'st. (Mi.) Di bene vortant. (De.) Virgo nihil habet', ut ab Horatio ipso carm. III, 11, 35 Hypermnestra post concubitum cum Lynceo virgo, ut ab eodem carm. III, 14, 9 uxores iuvenum e bello Cantabrico feliciter redeuntium virgines appellantur. Quin Ovidius heroid. VI, 133 iungit ‚virginem adulteram.' Etiam vox ‚puella' usurpatur in uxoribus, ut ab Horatio carm. III, 22, 2; ab Ovidio heroid. I, 115 al. Quodsi ex his concesseris, vocabulum ‚virgo' nostro loco per ‚junge Frau' explicari vertique posse, quo tandem pacto appositum ‚matura' in eam vocabuli sententiam quadrat? Quamquam enim Horatius ipse art. p. 115 senem aetate provectiorem dicit maturum, tamen ea notio a nostro loco prorsus est aliena, quo poeta in describendis nuptiis ab initio earum incipiens ordine deinceps usque ad eum depravationis terminum progreditur, quo nuptiae iam nuptiae esse desinunt. At est ‚matura virgo' nostro loco non virgo gravis annis,

8) Idem Fischer vir doctus, cuius locum e commentatione ‚de Bellerophonte' supra laudavi, ibid. pag. 87 docet nos haec: Sehen wir näher auf die Wirkungen des Mondes ein, so sehen wir, daß in südlichen Ländern der Mondschein von einer wohlthätigen feuchten Kühle begleitet wird, daher auch Alcman sagt (frag. 32 od. 47): οἷα Διὸς θυγάτηρ Ἔρσα τρέφει καὶ Σελάνας δίας. So schafft der Mond Feuchtigkeit, Dunst, Wasser. Deshalb hat auch Artemis, nicht die Jägerin, sondern die ältere, welche aus der Selene entstand, die Nymphen in ihrem Gefolge, und der Mondcultus ist häufig an Grotten mit Quellen geknüpft. (Welker Kret. Colon. S. 44, 59, 84.)

sed nova nupta gravida expletis iam fere ad partum primum edendum mensibus, ut apud Ovidium metam. IX, 278:

Cui sic
Incipit Alcmene: ‚Faveant tibi numina saltem
Corripiantque moras tum cum matura vocabis
Praepositam timidis parientibus Ilithyiam.

Procedit igitur descriptio corruptionis nuptiarum hoc modo: Nova nupta expletis iam fere ad pariendum mensibus gravida, adultera[9]) ab initio nuptiarum gaudet iam nunc, iam eo graviditatis statu doceri molles istos motus Jonicos: statum et gestum et demonstrationem; iam nunc famosis istis artibus nutandi,[10]) nictandi, innuendi ficta et instituta fungitur. — Vide, an ita eodem versu 22, h. c. sit legendum pro ‚fingitur' —. In quibus etsi non pudor muliebris, occultatio tamen facinoris quaedam adhuc inest. Postquam vero ab ipsa maritus — namque mariti aeque sunt corrupti ac uxores — adulterii convictus est, inter eius praesentis vina adulteros ipso iuniores quaerit iamque omni sceleris occultatione verecundiaque missa gaudia sua antea adulteris suis secreto in occulto permissa aperte atque etiam volente coniuge adultero pretiosissimo cuique quamvis abiectissimo licitatori vendit: quo facto nuptiae honesto illo nomine non iam sunt dignae.

Nuptiarum corruptione et statu tali modo acerbissime ab initio usque ad finem castigato pergit poeta ad istiusmodi parentum liberos, rem collatione ex contrario inde a. v. 33 iterum per tres strophas illustrando atque absolvendo dicens, liberos nimirum, quibus istorum parentum nomina sint indita, his perdignos atque pessimos esse neque tales, quales iuvenes priscis illis melioribusque saeculis acerrimos fortissimosque patriae hostes devicerint: quae omnia sic ordinata et ultima carminis stropha iusta poetae querella de temporum cursu paullatim ad peiora labente conclusa praeclare a poeta absolvuntur.

Carm. III, 25, 19: ‚Dulce periculum est, o Lenaee, sequi deum.' Bentleius haec verba inepta et putida habuit, quum perinde essent, ac si dixisset poeta: Dulce est periculum, o Bacche, sequi Bacchum. Ergo scripsit:

Dulce periculum est
Te, Lenaee, sequi ducem —

et subiunxit: ‚Porro codex Galei bonae notae pro ‚Lenaee' habet ‚Jloe,' quod quid sibi velit aliis divinandum relinquo.' — Ex eo addidamento satis apparet, virum doctum ipsum emendationem suam non ab omni parte probasse. Equidem existimaverim profectum esse a poetae manu:

Dulce periculum est —
‚Jo Lenaee' — sequi deum

‚Jo' μονοσυλλαβικῶς pronuntiandum est, ut apud Catull. LXI, 120 al. Horatius enim sollennibus his intercalaribus verbis ‚Jo Lenaee' Bacchi comitibus cunctis se rite iam entheum inserit. Atqui ea notione verborum, quam proposui, accepta et probata etiam lectio vulgata ferri potest. Nam interiectione ‚o' eadem vi ac ‚io' utebantur.

Carm. IV, 2, 49: ‚Teque dum procedis, Jo Triumphe, Non semel dicemus, Jo Triumphe.' Primum in his ‚Tuque' quam ‚Teque' malo scribere cum Th. Schmidio viro docto, qui in Joh. Chr. Jahnii edit. sextae ab ipso curatae praefatione ad eum locum

9) Manifesto hoc indicant poetae verba: ‚incestos amores.'
10) Cfr. Ovid. art. am. I, 137: Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris, Nec tibi per nutus accipienda nota est; et Plaut. Asin. IV, 1, 39: Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.

annotavit: Strothmanni permotus rationibus cum Stallbaumio antiq. libr. scripturam ‚Tuque dum procedis' revocavi pro ‚Teque dum procedis.' — Quibus probatis pronomen ‚Tu' ad Antonium numeris modisque hymni cunctis procedentem refero. Non tamen vehementer repugnabo, cui ‚Teque' magis placuerit, quum id quoque pronomen iis, quae porro dicam, conveniat. Verum verba ‚non semel' corrupta sunt, quum chorus neque de Antonii neque Triumphi canendo praeeuntis verbis iure quicquam mutaverit oreve quasi pleniore illis Caesarem celebraverit. Quam ob rem vide an locus sic scribendus sit:

Tuque dum procedis ‚Jo Triumphe'
N o s s i m u l dicemus ‚Jo Triumphe'

quam coniecturam confirmari confido simili Catulli loco carm. LXI, 36 sqq.:

Vosque item s i m u l, integrae
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite in modum
D i c i t e ‚o Hymenaee Hymen,
O Hymen Hymenaee.'

Carm. IV, 4, 14: ‚Intenta fulvae matris ab ubere' —. Difficultates, quibus viri docti in eo loco explicando cruciabantur me sublaturum esse spero facili emendatione, unde vocem ‚intenta,' quoniam ea retenta vix credere possumus, capream conspexisse leonem in se irruentem, in ‚d i s t e n t a' muto et stropham sic scribo:

Qualemve laetis caprea pascuis
D i s t e n t a fulvae matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit:

quam scripturam ab omnibus libris et manuscriptis et editis discrepantem totius loci explicatione nova et omnes virorum doctorum dubitationes in voce ‚lacte' potissimum iniectas expediente sic confirmo: ‚qualemve leonem fulvae matris ab ubere iam (= modo) depulsum in laetis pascuis caprea iam lacte distenta dente novo peritura vidit: talem videre Drusum Vindelici.' Tali modo commode leoni ab ubere matris modo depulso confertur Drusus, qui dux novicius hoc bellum auspice Caesare Augusto gessit; et aeque commode capreae iam lacte distentae, unde leonem aegre fugit, conferuntur Vindelici, qui spoliis priori tempore a Romanis relatis quodam modo distenti ac superbia inflati aegre Drusum fugiunt, nova eius bellica virtute perituri. — Operae pretium est monere, verba huius strophae quum collocatione complexioneque, tum numero verborum se artificiosissime excipere. Nam exceptis vocabulis ‚ve, laetis pascuis, iam'[11]) in duobus prioribus strophae versibus ad leonem duo, in alteris duobus quinque vocabula; contra ad capream in duobus prioribus versibus quinque, in alteris duobus duo spectant: quod ut magis eluceat, stropham appingo sic:[12])

---

11) Eae voces nullius momenti sunt ad comparationem, quum ‚ve' cum praecedentibus coniungat, ablativus loci ‚laetis pascuis' solum quoddam scenamque utrique comparationis membro communem praebeat, ‚iam' ἀπὸ κοινοῦ et ad ‚distenta' et ad ‚depulsum' positum hic ἄρτι δή, illic ἤδη valeat.

12) In his nota ‚o' designat vocabula strophae, quae nihil pertinent ad comparationem; nota numeri ‚1' designat vocabula, quae ad leonem, ‚2' quae ad capream referas.

1	0	0	2	0
2	1	1	1	1
0	2	1	1	
2	2	2	2	

1 0 0 2 0
Qualem ve laetis caprea pascuis
2 1 1 1 1
Distenta fulvae matris ab ubere
0 2 1 1
Jam lacte depulsum leonem
2 2 2 2
Dente novo peritura vidit:

Restat, ut exemplis comprobem verbum ‚distenta' ea vi sententiaque nostro loco ferri posse, quam in eo inesse contendebam. Quorum exemplorum id, quod ad coniecturam meam comprobandam accommodatissimum est, legimus apud Vergil. eclog. VII, 3:

Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas.

Cfr. Verg. eclog. IV, 21:

Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera.

et eclog. IX, 31:

Sic cytaso pastae distendant ubera vaccae.

et Horat. epod. II, 45:

Claudensque textis cratibus laetum pecus
Distenta[13]) siccet ubera.

Ad ‚depulsum ab ubere matris', quocum ‚lacte', ut vulgo putabant, non est coniungendum, cfr. Vergil. Georg. III, 187:

Atque haec iam primo depulsus ab ubere matris
Audeat,

et eclog. III, 82:

Dulce satis humor, depulsis[14]) arbutus haedis.

---

13) His exemplis nunc capellas ipsas, nunc ubera lacte distenta dici, nunc ‚lacte detrahi videmus.
14) Docet nos hoc exemplum, per detractionem etiam addidamentum ‚ab ubere matris' omitti posse.

Scripsit Carolus Hansel.